



MINERALOGY·EMERALD·AND·OTHER·BERYLS·CATALOG
OF·GEMS·&c
GEM·CUTTING
GEMSTONES·OF·NORTH·AMERICA·PROSPECTING·FOR·GEM
STONES·AND
MINERALS
EX LIBRIS
JOHN SINKANKAS



B. V. Gand 1843 $ E. BC

Cat
9.500

$ 50.50 Van Loock
Brussels 1969

P 181

FV Jacques Le Roy
auteur belge
Anvers = Lierre
1633 – 1719


cc B Bve

conseiller au Conseil de Finances
surintendant des Commerce.

2 gr dépl
1 " i.t.

De Seyn II 677

Traité sur la plus belle agate connue :
"l'Apothéose d'Auguste."
Encycl.



ACHATES
TIBERIANUS.

ACHATES TIBERIANUS,

SIVE

GEMMA CÆSAREA,

Antiquitate, Argumento, Arte, Historiâ, prorsùs incomparabilis,

Et cui parem in Orbe Terrarum, non est reperire,

D. AUGUSTI APOTHEOSIN

Imp. Cæs. Tiberii, Augustæque Juliæ Domus,

Seriem & Iconas, Gentesque Bello captas


REPRÆSENTANS,

Ante annos propè mille & septingentos cælata : quæ in Sacro Regis Christianissimi Gazophylacio asservatur,

Et Personarum, figurarumq́, quæ in eo Cymelio visuntur exsculptæ, nova Notitia & Explicatio, Notis Historicis illustrata:

Auctore JACOBO LE ROY, libero Barone S.R.I.

Accesserunt & aliorum hujus Gemmæ Interpretum dissertationes, nec non alterius Gemmæ Augusteæ.



AMSTELÆDAMI,

Prostant Bruxellis apud *Franciscum Foppens*. M. DC. LXXXIII.



AUGUSTISSIMO
CÆSARI,
LEOPOLDO
AUSTRIACO,
ROMANORUM
IMPERATORI,
PRINCIPI CLEMENTISSIMO.



Leganter olim Criſpus Paſſienus, Orator Romanus, ad Auguſtum Cæſarem dixit; Qui ad te audet ſcribere, Cæſar, magnitudinem tuam ignorat; Qui non audet, humanitatem. *Hâc ego fiſus, mitto, ad ſacræ Cæſaræ Majeſtatis tuæ pedes, Monile Cæſareum, Auguſtorum*

tam Romanorum , quàm Byzantinorum Cæsarum , Regumque Cypriorum , & deindè Francorum manibus tractatum. Gemmam dico, imò, Historiam Augustam. Apotheosin Augusti, Tiberianam Aulam, nobilissimam historiæ Romanæ partem GEMMA *hæc, seu picturata tabula & Gemmeus Liber complectitur; Sed quia non probè ab Interpretibus hactenus intellectus, novâ interpretatione, ex priscis numismatibus & scriptoribus dilucidare conatus sum. Hunc qualemcumque laborem meum, Sacræ Majestati vestræ ad genua submissus, præsento; &, licet admirandus hic* Achates, *qui hisce meis lucubrationibus argumento fuit, hodie in Cæsareo gazophylacio non asservetur, nihilominus, jure optimo,* Augustum Cæsaris nomen *appellandum existima-*

ma-

mavit : ſiquidem totus ferè ejus ſenſus ad dignitatem Cæſaream Cæſarumque *hiſtoriam referendus : meritoque reddimus*, QUÆ SUNT CÆSARIS, CÆSARI.

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis veſtræ

Humillimus & obſequentiſſimus Cliens

JACOBUS LE ROY,

Liber Baro S. R. I.

LE-

LECTORI.

DIligentissimus Naturæ genius Plinius lib. XXXVII. tractaturus de Gemmis, scribit cap. I. Pyrrhum, qui adversùs Romanos bellum gessit, habuisse *Achaten, in qua* IX. *Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia.*

Si res ita se habuit, arcanum profectò Naturæ miraculum dici debet: uti hic *Achates Tiberianus*, portentosum humani opus ingenii. Prioris schema, ad intelligentiam sui, nulla interpretatione indigebat, hujus, intellectu difficile, ideoque diu me ab interpretatione deterruit: sed Gemmæ claritas animum dedit, ut hos conatus meos publici juris facerem.

Hor. — *Si quid novisti rectius istis,*
Candidus imparti: si non, his utere mecum.

ACHA-

Grand Camée de France
Paris 31 x 26.5 cm



GEMMÆ CÆSAREÆ SIVE ACHATIS TIBERIANI RECTA FACIES UT ILLAM MANU PROPRIA EXCEPIT PETRUS PAULUS RUBENS PICTOR CELEBERRIMUS.

HA.



Gemm Augustea 23x19 cm
Vienna

ACHATIS TIBERIANI,

SIVE GEMMÆ CÆSAREÆ NOVA NOTITIA ET EXPLICATIO NOTIS HISTORICIS ILLUSTRATA.

Vndè Gemma hæc Augustæa ad Regis Francorum manus delata.



Sserunt Historiæ Augustæ Scriptores, Trajanum Augustum dum bella externa ingruerent, species Imperatorias, Gemmeamque supellectilem vendidisse, ne Romanos nimiis exactionibus exhauriret. Credibile autem est, Constantinum Augustum dum Bysantium, (quam novam Romam appellavit) conderet, ut statuas plerasque eximias, ita & species & cymelia Augustæ supellectilis secum Bysantium abstulisse.

Hanc deindè, Turcis aliisque hostibus Constan-

tinopolitanum Imperium adorientibus, ab Imperatoribus esse divenditam.

Balduinus II. Flander, Imperator Constantinopolitanus, Anno M. CC. XLVIII. Bysantio pulsus à Paleologis, Franciam, Angliam, aliaque Regna peragravit, ut suppetiis undique conquisitis, reditum sibi ad Imperium Bysantinum muniret. Sacras Dominicæ Passionis Reliquias, Cymeliaque omnia secum abstulit, & Regibus oppignoravit ac vendidit, ut pecunia corrogata hostes suos Bysantio pelleret.

Inter alia cymelia Achates hic TIBERIANVS, & quia aliis Sacris Reliquiis mistus erat, historiam sacram continere creditus.

In ista temporum nocte, quâ ante istos quadringentos annos (& quod excurrit) Europam oppressit Barbaries, & velut Scytismus quispiam Orbem occuparat, Historiâ priscâ, & politioris Litteraturæ omni cognitione extinctâ: Græculi in quorum manus Gemma hæc devenerat, Romanorum Antiquitatum ignari, ut pretium lapidi adderent, (seu reverà sic conjectarent) *Josephum*, in Ægypto olim *regnantem*, *sub Rege suo* hic expressum esse crediderunt.

Petrus Gassendus in vita Peireskii lib. 3. pag. 288. ait, quod *Exornata illa circum fuerat Christianis figuris, & epigraphis à Græco quodam Imperatore, adeò ut cum* Balduinus *eam oppignorasset* D. Ludovico, *ac postmodum tandem venisset in manus* Caroli *Regis*, *nomine* Quinti, *& crederetur sacram quandam continere historiam, in gazophilacium Sacelli Basilicæ, seu (ut vulgò indigitant) Sanctæ Capellæ, quasi donarium religiosum fuerit illata*, inibi etiamnum asservatur, sæpiusque vidi manibusque contrectavi.

Re-

Rectè a Themiſtio Philoſopho dictum eſt: *Imagines veteris Artis ad admirandum indigent tempore, accuratiſq́ oculis.*

Nicolavs Fabritivs Peireskivs, Regius in Aquiſextiano Conſilio Senator, priſcorum Cymeliorum admirator & conquiſitor ſolertiſſimus, & intelligentiſſimus, Cæſaris Octaviani Auguſti Apotheoſin, hâc Gemma deſcribi, potiſſimamque Auguſti Aulam, ac proſapiam, illa contineri obſervavit: ut teſtatur Petrus Gaſſendus in hiſtoria vitæ ejus lib. 3.

Joannes Tristanus Toparcha ſancti Amandi, in *Commentariis Hiſtoricis Imperatorum Romanorum*, quos anno M. D. C. XXXV. Pariſiis Gallico idiomate edidit, hanc Gemmam Cæſaream æri inciſam in lucem dedit, & explicatione quoque eam illuſtrare conatus eſt: verum haud eâ, ut mihi videtur, felicitate, quâ multa & difficillima numiſmatum ænigmata enodavit.

Nec enim cuiquam in antiquitate vel mediocriter verſato umquam perſuadebit, illum qui Pegaſo vehitur Divum Augustum eſſe; ipſam namque Gemmam accuratè inſpicienti facilè patebit; faciem illius non reſpondere lineamentis faciei Auguſti, quam in nummis videmus.

Quis etiam credet, illum radiato & velato capite, Jovem eſſe? quem numquam videre eſt nec fictum nec pictum velato capite, niſi apud Martianum Capellam, poſterioris ævi Scriptorem. Adhæc, quis umquam vidit Jovem imberbem, niſi in aliquibus Gordiani & aliorum nummis? in quibus Cæſaris imberbis caput Jovi attribuitur.

Nec eſt quod quiſpiam objiciat Jovem Anxurum

qui imberbis erat, Servio teſte. Ille etenim juvenili ſpecie fingebatur, ut & Jupiter Caſius apud Achillem Tatium; cùm ille qui in hac Gemma expreſſus eſt, jam provectæ ætatis ſit. Quin etiam ipſum Jovem Anxurum Barbatum videmus in Nummis Auguſti, apud Goltzium, Tab. LXXV.

Jam quis concedet illum qui Galeatus & Paludatus Trophæum humeris portat, Numerium Atticum eſſe? qui D. Auguſtum in Cælum aſcendentem ſe vidiſſe jurarat. Quid enim illi Senatori & Prætorio cum galea & Trophæo? nam quod Trophæum illud exiſtimat eſſe mortalitatis exuvias quæ Auguſto in Cælum properanti excidunt prorſus nugari eſt.

Quid dicam de Antonia & Livia, quibus versâ vice nomina imponit? ut facilè cognoſcent ii qui earum effigies in nummis perſpicient. Cùm etiam rationi magis conſentaneum ſit Antoniam Matrem Germanicum amplecti; Liviam verò Auguſtam Tiberio filio aſſidere.

Volumen autem, quod Germanicum manu tenere ait, ego quidem in Gemma hac non reperio, ubi nihil aliud Germanicum tenere video, quàm anſam clypei ſui.

Nec illud quoque perplacet, quod arbitratur Captivum illum qui Liviæ aſſidet, ſervum aliquem aut Libertum ejus eſſe, qui verba Tiberii & Germanici notis excipit, cùm geſtus ille & ſchema, lævâ caput ſuſtinentis, Captivi ſit, aut Provinciæ ſubactæ: non verò Notarii, ut infrà latiùs docebimus.

Præterea quem ipſe ÆNEAM eſſe aſſerit, eſt ipſa Roma quæ Orbem manu tenet.

Poſt Peireskium & Triſtanum, Monile hoc, interpretari cœpit Albertus Rubenius. Petri Pauli Filius

lius, Philippo IV. Hiſp. Regi in Sanctiore Concilio à Secretis, cujus diſſertationem de hac Gemma conſcriptam excudi curavit Antverpiæ, Gaſperius Gevartius, ejuſdem urbis Archigrammateus.

Hic itaque ſcriptor operi ſuo præfixit, non inverſam, ut Triſtanus, ſed rectam faciem hujus Achatis, parentis ſui curâ in æs inciſam, ad cujus intelligentiam, proximè acceſſit, ſed in perſonis deſignandis in ſegmento ejus ſuperiore & inferiore remur aberraſſe.

Ergò ut ſententiam meam breviter exponam, cenſeo Gemmam hanc continere non reditum Germanici è Germania ut Triſtanus exiſtimat, ſed potiùs profectionem ejus in Syriam, quamvis eam ſculptam eſſe reor aliquo tempore poſt profectionem ejus, quod evincit Trophæum illud, quod Druſus Tiberii filius portat.

Illi enim Ovatio decreta eſt Anno V. C. 772. cùm Germanicus jam eſſet in Syria. Nec iis ſe anguſtiis adſtringere voluit artifex, ut ipſam profectionis hiſtoriam ſimpliciter exhiberet, ſed totam Tiberii aulam, Juliamque familiam, cælo terrâque illuſtrem & glorioſam commonſtrare, & unà ob oculos ponere voluit: hinc & *D. Julium*, *D. Auguſtum*, *Druſum Germanicum*, atque etiam *Druſum Tiberii filium* adjunxit, qui eo tempore quo Germanicus ex urbe profectus eſt, in Dalmatia erat.

Porrò ut Gemmæ iſtius interpretatio clarior fiat, in tria Segmenta eandem partiri viſum eſt, ſuperius, medium, & inferius.

SEGMENTUM I.

Superiori quidem Gemmæ ſegmento iſta continentur.

ROMA DEA, galeata, paludamento ſuccincta, Orbem Terrarum manu utraque geſtans, Divum *Auguſtum Cæſarem*, *Coronâ radiata*, veloque ſacro inſignem, ac ſceptrum ſive haſtam manu geſtantem, humeris dorſoque ſuo impoſitum, in cælum evehit.

At *C. Julium Cæſarem*, laureatum, & clypeum utraque manu tenentem, pede ſuo ad tibiam ejus adducto leviter in altum attollit.

Quod equidem haud temerè ab artifice factum exiſtimo.

Auguſtus enim, longo mitique Imperio, & clementiâ, amorem omnium, reverentiam & juſtam venerationem Romanorum promeritus, in cælum aſcendit.

C. Cæſar autem, ob vi invaſos honores, Conſulatum & Dictaturam raptam, Regis appellationem ambitam, Senatui inviſus: per civile bellum tronum aſcendit, quod adeò cruentum fuit, ut ex Pompeii militibus ſuper quater centena millia occidiſſe feratur. Ideòque à familiariſſimis cœſus, vix ab OCTAVIANO CÆSARE & Marco Antonio, conſecratus & in cælum miſſus eſt.

Illum autem Pegaſo ſeu equo alato vectum, *Druſum Germanicum eſſe credo*, Germanici Cæſaris Patrem, nec enim facies ejus quam in nummis expreſſam habemus, multum ab hac differt.

Laureâ autem coronatus eſt, ob victoriam Germanicam. Pedo Albinovanus in Elegia de morte ejus:

Cingor Apollineâ victricia tempora Lauro.

Ut

Ut verò hîc ab equo alato in cælum invehitur, ita Catullus poſt Callimachum comam Berenices in cælum à Pegaſo portatam tradidit. Sed hic Druſum cenſeo equo pennato inſidere, ut Luciferum referat, cui adoleſcentes Principes comparant Veteres. Virgilius lib. 8. de Pallante:

Qualis ubi Oceani, &c.

Quos Verſus in Græcos vertit in honorem Maximini junioris Fabilius Græcus Litterator, ut ex Capitolino conſtat. Ovidius.

Surgit Julæo juvenis cognomine dignus,
Qualis ab Eois Lucifer exit aquis.

Claudianus de Honorio:

Quis nos Luciferum roſeo cum Sole niteri
Credidit.

Quin etiam aliquot ante mortem Druſi diebus, Lucifer non apparuit. Pedo de morte ejus:

Sidera quinetiam cælo fugiſſe feruntur,
Lucifer & ſolitas deſtituiſſe vias.
Lucifer in toto nulli comparuit orbi,
Et venit ſtellâ non præeunte, dies.

Undè non malè illum Luciferi equo imponunt, quaſi poſt mortem ſuam vice ejus Orbi lucentem.

Luciferum autem in alato equo ſemper videmus in gemmis antiquis. Claudianus de Raptu:

Dum meus humectat flaventia Lucifer arva
Roranti provectus equo.

Ovi-

Ovidius:

—— *Admisso Lucifer albus equo.*

Sane Pedo Albinovanus fingit *Drusum* à Venere ex rogo ereptum, & in stellam Hesperon mutatum esse, dum ita canit in Mœcenatis obitum:

Quæsivere Chori Juvenem, sic Hesperon illum
Quem nexum medio solvit in igne Venus.
Quem nunc in fuscis placida sub nocte nitentem
Luciferum contrà currere cernis equis.

Ita enim intelligo locum illum quem Interpretes haud capiunt, & per *Iuvenem illum* intelligo *Drusum Germanicum*, cujus obitum paullò ante celebrarat, ut in principio ejusdem Elegiæ.

Defleram Juvenis tristi modo Carmine fata.

Nec scio quare Scaliger velit hic non intelligi Elegiam de morte *Drusi*; qui, ut ait, post Agrippam mortuus est: sed potiùs Epicedium *Marcelli*; cùm illud modò magis conveniat *Druso*, qui uno ante Mœcenatem anno obiit; quàm Marcello qui multis antea annis

Hespero etiam, qui idem cum Lucifero, equum tribuunt Poëtæ. Statius 6. Theb.

Roscida jam novies Cœlo dimiserat astra
Lucifer, & totidem Lunæ prævenerat ignes
Mutato nocturnus Equo.

Drusus manum extendit versus Augustum quasi eum alloquens, eo gestu, qui pulchrè describitur ab Apuleio lib. 2. Matam. *Ac sic aggeratis in tumulum stragulis & effultus in cubitum, suberectusque in*

in thorum, porrigit dextram, & adinſtar Oratorum conformat articulum, duobuſq́; infimis concluſis digitis, cæteros eminentes porrigit, & infeſto pollice clementer ſubrigens infit Thelephron. Sic & Fulgentius de Virgilii continentia: *Itaque compoſitus in dicendi modum, erectis in jotam duobus digitis tertium pollicem comprimens, ita verbis exorſus eſt.*

Quia verò Luciferum Venus

—— *Ante alios aſtrorum diligit ignes.*

Ideò habenas Druſi qui hic Luciferum refert, moderatur Cupido, cujus ſub effigie abſque dubio, expreſſus eſt filius ille Germanici, *cujus effigiem habitu Cupidinis in ede Capitolinæ Veneris Livia dedicavit, Auguſtus in cubiculo ſuo poſitam, quotieſcumque introiret, oſculabatur, ut refert Suetonius* cap. 7. in Caligula.

Præterea in Druſum, *Romæ Deæ*, *Divi Auguſti*, *Diui Julii*, & *Cupidinis* oculi ſunt intenti. Ita ut Pegaſi equi ungulas *Globo Terrarum* impoſitas, *Roma* etiam attollat.

Cæterum, lapſus ex equo ſchema, quod in Gemma hac, expreſſum cernitur, *Druſum* hîc denotare quoque evincit, ejuſque infelix fatum: pes enim dexter herois equitis, non (ut equitantis naturalis eſt habitus) rectè juxta primum equi crus, & coxam ſeſe dimittit; ſed retrò ſupra poſtremum equi crus & coxam ſe extendit, quod ſchema lapſabundum equitem, ejuſque crurifragium denotat, quo vulnere, trigeſimo die quam id acciderat mortuus eſt, & *C. Julii* tumulo conditus, *laudatuſq́;* eſt à Cæſare Auguſto vitrico: & ſupremis ejus plures honores additi.

Sed mihi hæc, ac talia conſideranti in incerto judicium eſt, num is inquam *Cupido* manu ad maxillas equi admota non videatur lapſum *Druſi* velle prohibere.

ANNOTATA.

ROMA DEA. Non tantùm Roma infinitam hominum omni virtutum genere præcellentium seriem progenuisse, cæloque adscripsisse dicta est: sed & urbs ipsa *Roma*, cælo recepta à priscis celebratur. Hinc CL. Rutilius Numatianus vir Consularis in Itinerario, sic Romam invocat.

Exaudi Regina tui, pulcherrima Mundi
Inter sidereos, ROMA, *recepta polos.*
Exaudi, genitrix hominum, genetrixq; Deorum,
Non procul à Cælo per tua templa sumus.

Flavius Manlius, & ipse vir Consularis, lib. 4. Astronomiæ, ita fatur.

Gallia per censùs, Hispania maxima bellis,
Italia, in summa, quam rerum maxima ROMA
Imposuit terris, Cæloque adjungitur ipsa.

Unde colligo, quod prima & Princeps hujus *Gemmæ* forma & persona sit, illa

Terrarum Dea, Gentiumq; Roma
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Ut ait Martialis lib. 12. Epig. 8.

Vereque de illa ante mille & ducentos annos, Divus Paulinus Nolanus Præsul cecinit.

Sedes, ROMA, *Petri, quæ Pastoralis honoris*
Facta CAPVT *mundo, quidquid non possidet armis,*
RELIGIONE TENET.

CORONA RADIATA, à Patre visus fuit per somnium mortali specie amplior, cum fulmine, sceptro, & radiatâ coronâ, ut refert Suetonius, cap. 94. Post illum omnibus Imperatoribus consecratis illa dabatur, ut ex nummis constat. Lucanus:

Fulminibus manes radiisq; ornabit & astris.

Plinius in Panegyrico: *Horum unum si præstitisset alius illi jamdudum radiatum caput, & mediâ inter Deos sedes auro staret, aut ebore, augustioribus aris & grandioribus victimis invocaretur.*

VELOQVE SACRO INSIGNEM, ut sæpè videmus Imperatores & Augustas in nummis post Apotheosim: ut notat Anton. Augustinus Dialogo 2. Velum est Symbolum Æternitatis, quam velato capite videmus in nummis Faustinæ & aliorum. Hinc & Mar-

Martianus Capella lib. 1. ita Jovem fingit : *Tunc* (inquit) *Jupiter publica & quæ Senatum contracturus assumit indumenta percipiens apponit primum vertici regalis serti flammantem Coronam, contegitque ex posticis caput quodam velamine rutilante quod ei præsul operis Pallas ipsa texuerat.* Sic etiam Eusebius de vita Constantini lib. 4. cap. 73. de nummis signatis post mortem ejus : *Jam verò in ipsis nummis exsculptæ formæ quæ unâ parte Beatum hunc nostrum velato capite repræsentabant : alterâ parte quadrigis instar Aurigæ insidentem demissa illi cœlitus manu dextrâ exceptum.* Cujus nummi figuram exhibet Card. Baronius ad annum Christi 337. Sed fallitur : cùm ait hoc non reperiri de nullo alio Imperatore inter Divos relato, & censet Christianorum hoc inventum esse.

SCEPTRVM SIVE HASTAM omnibus enim *Deorum simulacris hastæ adduntur*, ut ait Justinus lib. 43.

HVMERIS DORSOQVE SVO IMPOSITVM. Quos amamus humeris portamus. Sic M. Tullius Cicero gloriabatur se in exilium pulsum, *ipsis Romæ humeris* in Italiam esse revectum.

C. JVLIVM CÆSAREM faciem C. Julii refert, & cùm hîc *Apotheosis Divi Augusti* exprimatur, indignum fuisset, *Divum Julium*, in Juliæ domus serie omitti, is enim est

Qui fessus bellis, assertæ munera prolis:
Primus iter nostris ostendit in æthera Divis.

Ut Papinius ait Sylvarum lib. 1. in Equo Domitiani Aug. & Horatius:

Micat inter omnes Julium sidus,
Velut inter ignes luna minores.

ET CLYPEVM VTRAQVE MANV TENENTEM. Nimirùm quia dicebatur Clipeus & Assertor Romani Imperii, adversùs gentes barbaras. Quo elogio sæpiùs honoratus fuit.

DRVSVM GERMANICVM ESSE CREDO. Elegantissimum Drusi elogium exstat apud Velleium Paterculum, his verbis: *Cura deinde atque onus Germanici belli delegata Druso Claudio, fratri Neronis, adolescenti tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel industria percipit; cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est. Morum certè dulcedo ac suavitas, & adversùs amicos æqua ac par sui æstimatio inimitabilis fuisse dicitur. Nam pulchritudo corporis, proxima fraternæ fuit. Sed illum magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis in locis profuso sanguine, fatorum iniquitas, Consulem, agentem annum tricesimum, rapuit.*

SEGMENTUM II.

Medio Gemmæ ſegmento iſta continentur.

AUguſtali ſolio inſidet TIBERIUS, qui ſuperiores corporis partes nudas, inferiores habet tectas, ut *Jovem* referat, qui ita fingebatur ab Antiquis, ut conſtat ex Porphyrio apud Euſebium lib. 3. de præpar. Evang cap. 9.

Hinc etiam ſceptrum aut haſtam tenet, quæ Jovi ſemper tribuitur. Vide I. Rycquium in Capitolio ſuo, cap. 19.

Crepidas quoque, ſive ſoleas geſtat, ut videmus Jovem in Statuis antiquis, vide Boiſſardum parte 3. Antiquit. Sic etiam Jupiter Olympius crepidatus erat.

Nec Jovem ſolum, ſed omnes alios Deos Græci, & Romani qui ab iis Deos ſumpſerant, cum crepidis aut ſoleis finxerunt, ut videmus in monumentis antiquis: hinc Juvenalis Satyrâ 3.

Phæcaſiatorum vetera ornamenta Deorum.

Huc referri debet id quod Suetonius narrat cap. 4. de Domitiano, qui Virginum *certamini præſedit crepidatus purpureaq; amictus togâ græcanicâ, capite geſtans coronam auream.*

Lituum læva Tiberius tenet ob Auguratum quo omnes Imperatores ornabantur, ut notat Gutherius lib. 1. de Jure Pontif. cap. 15. Sic apud Virgilium lib. 8. Æneid.

Ipſe Quirinali Lituo, parvâque ſedebat
Succinctus Trabeâ.

Sic & Plutarchus, in Romulo tradit, illum Lituum gestasse, & Numam & Ancum videmus in nummis cum Lituo, ut etiam D. Julium, & Augustum Cæsarem, apud Goltzium in Augusto Tab. 23. & Tab. 45.

Illud autem indumentum ex Squammis Serpentum contextum non dubium ÆGIDA esse, quam Imperatores Romani portabant ad imitationem Jovis, hinc Martialis lib. 14. Epig. 179.

Dic mihi Virgo ferox, cùm sit tibi cassis & hasta,
Quare non habeas Ægida? Cæsar habet.

Videri quoque possunt apud Jac. Stradam folio 87. & 99. numismata Caracallæ & Alexandri Severi cum Ægide.

Assidet *Tiberio* in eodem solio ad dextrum latus *Livia* ejus Mater, tunicata, etiam laureata, utpotè quæ *Augusta* erat, & dominationis ferè *socia* & Imperii consors, ita ut litteræ *Tiberio* scriptæ, etiam matri ejus inscriberentur, teste Dione lib. 57. Quod miror (*inquit Rubenius*) non animadversum esse à Tristano, qui mutatis partibus, personam *Liviæ*, tribuit *Anthoniæ*, & contra, quam Peireskius & nos, *Liviam* esse censemus, ipse *Antoniam* nominat. Sed ut argumentum suum illi reponam, nullam veri speciem habet, *Antoniam* quidem, quæ demum à Caio Cæsare, *Augustæ* titulum obtinuit,in Augustali throno locatam esse, *Liviam* verò Augustam Tiberio adstare.

Papavera autem manu gestat, quæ felicitatem publicam indicant, & in omnibus Augustarum statuis Romæ videmus, ut etiam in nummis.

Quia verò Gubernaculum Navis Liviæ appositum cernitur, hinc credo illam hîc fictam esse sub

ſpecie BONÆ FORTUNÆ P. R. Fortunæ enim *Gubernaculum navis attribuebant Antiqui*, ut ait Galenus in ſua Suaſoria, videndus etiam Lactantius lib. 3. Inſtitut. Divinar. cap. 39.

Captivus ille, qui ſellæ Auguſtorum aſſidet, Armenius quidam eſt, aut Armenia ipſa, quam eodem prope cultu videmus apud Ant. Auguſtinum Dialogo 3. in nummis æneis L. Veri, cum Inſcriptione

TRIB. POT. IIII. IMP. II. ARMEN. S. C.

Qui habitus pulchrè deſcribitur à Philoſtrato lib. 1. Iconum in Rhodogune: ſed de Orientalium Tunicis, Sarabaris, & Tiaris, aliiſque indumentis, videndus Briſſonius, de Regno Perſarum. Illud ſolùm dico ex hac Armeniæ Tiara perſpicuum, quæ ſint apud Virgilium, *redimicula mitræ*; & apud Lucretium *Anademata*.

Sedet autem Armenia triſti geſtu, caput manu ſuſtentans, ut in nummis Veſpaſiani & aliorum Judæa, aliæque regiones devictæ: Libanius in excidio Troiæ, deſcribens mulierem Troianam: *præterea cervix cum facie nutabat; deinde è manibus dextra caput ſuſtinet.* Sic etiam Polygnotus pixit Sarpedonem apud Inferos, capite in utramque manum incumbentem, teſte Pauſania in Phocicis.

Tiberium verò Armeniam in poteſtatem P. R. redegiſſe, præter Velleium & Suetonium teſtatur Horatius:

Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit.

Et

Et Armenia quidem hic ſculpta eſt, non Pannonia, Dalmatia, aut aliæ regiones à Tiberio domitæ, ob paritatem exempli. Ut enim Tiberius Armeniæ devictæ Tigranem Regem impoſuit, ita & Germanicus miſſus fuit in Syriam, ut Armeniæ motus componeret, cui etiam Regem dedit Zenonem Polemonis Regis Pontici filium. Videndus Tacitus lib. 11. Annal.

Retrò poſt Liviam Aug. adſtat *Druſus junior* Tiberii Aug. filius, quod dubium nulli erit, qui Druſi ipſius effigiem ex nummis cum hac conferat.

Et Trophæum quidem fert, ob res in Germania bene geſtas. Quapropter Patres decrevere ut ovans urbem introiret, ut notat Tacitus lib. 2. Annal.

Manum verò extendit versùs Auguſtum, cui ut Deo vota ſuſcipit pro ſalute Tiberii & P. R. Orantium enim ille habitus eſt, ut manibus extenſis in cælum precentur, ut ait Apuleius de mundo poſt Ariſtotelem. Niſi fortè magis placeat, illum manum tendere ad Orbem quem *Dea Roma* manu portat, ut ſucceſſione ſibi debitum. Per Sphæram enim Imperium deſignatur, ut notum eſt ex nummis in quibus Titus à Patre Orbem accipit, Nerva à Senatu, Hadrianus à Traiano, &c. hinc & in Imperatorum manibus Sphæram collocant. Videndus Lindenbrogius ad lib. 21. Ammiani Marcellini.

Aſſidet *Druſo* juniori *Livilla* ejus uxor ſtolata, & lævæ manui columnatim innititur, quaſi phantaſtica, dextram ad Sphingem ſedis ſuæ pedem extendit.

Quod verò Triſtanus tot myſteria inveniat in ſphynge hac, quam ait ſudarium manu tenere ut lacrimas abſtergat, mihi planè ridiculum videtur.

Sphin-

Sphinges enim faciebant, fellas & lectos fustinentes, ornamenti causa; ut ex Callixeno Rodio in Ptolomæi pompa clarè constat apud Athenæum lib. 5. Sudarium autem quod ipse vidit, nihil aliud est quam lacinia stolæ Livillæ.

Cæterum Tristanus; *Juliam* Augusti filiam existimavit, quam Rubenius & nos Livillam dicimus Sed perpendant Eruditi an credi debeat, (inquit Rubenius) *Vomicam illam Domus Cæsaris Augusti, hic expressam esse, & quidem sub* Tiberio, *qui infesto semper odio illam prosecutus, mox ut principatum adeptus est, extorrem, infamem, & post interfectum Agrippam, omnis spei egenam, inopia ac tabe longa peremit. Incidit autem mors* Juliæ, (*Tacito teste*) *in annum Julianum LIX. ab urbe condita 767. At certum est gemmam hanc cælatam esse post reditum* Germanici *è Germania, qui contigit exeunte anno Juliano LXI. aut ineunte LXII. duobus nimirum post Juliæ mortem annis.* Itaque rectius meo judicio cum Peireskio *Rubenius* censuit esse *Liviam* seu *Livillam* Germanici sororem, nuptam *Druso Tiberii filio*; quam Juliam de qua Velleius histor. II. ista scribit.

Fœda dictu, memoriaque horrenda in ipsius domus tempestas erupit. Quippe ejus filia Julia, per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter posset femina, luxuriâ, libidine, infectum reliquit; magnitudinemque fortunæ suæ peccandi licentiâ metiebatur, quidquid liberet, pro licito judicans; vide & Senec. de benef. lib. 6. cap. 32.

Ad lævum Tiberii latus adstat *Antonia* Aug. Drusi uxor, Cæsaris Germanici mater, & ipsa laureata, hæc *Germanicum* filium suum expeditioni bellicæ à Tiberio jussæ accinctum, perque caput

suum

ſuum jurantem complectitur, qui ſago & paludamento inſignis, clypeum tenet, & ocreas quoque in utroque crure portat, unde patet quod Vegetius tradit lib. 1. cap. 15. nempè *pedites ſcutatos, ferreas ocreas in dextris tantùm cruribus portaſſe*, in poſterioris temporis militia obtinuiſſe, ut notavit Lipſius lib. 3. de militiâ Romana. Sic & Homerus Heroibus ſuis binas ocreas attribuit; & Virgilius Æneæ,

Tum leves ocreas electro auroque recocto.

Et fruſtra La Cerda, qui, ut conciliet Virgilium cum Vegetio, cenſet Virgilium Æneæ equeſtrem armaturam tribuere, cùm Æneas numquam ex equo pugnet, ſed aut pedes, aut ex curru.

Retrò *Germanicum* ſedet uxor ejus *Agrippina* volumen manu tenens, ut alias ſæpè Auguſtæ & illuſtres fœminæ; non ſtolata ut *Livia*, *Antonia*, & *Livilla*, ſed chlamidata, ut quæ perpetuò in caſtris cum marito ſuo verſans, munia Ducis quandoque obibat: hinc illæ Tiberii querelæ, apud Tacitum 1. Annal. Nihil *relictum Imperatoribus*, *ubi fœmina manipulos intervisat, ſigna adeat, largitionem tenet.*

Sic Agrippina Claudii ſpectaculis præſedit chlamide aurata, ut tradunt *Tacitus* 12. Annal. & Dio. Sic Dido apud Virgilium ad venationem proficiſcitur,

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Zenobia quoque Imperiali ſagulo, perfuſo per humeros habitu ſe ornabat, ut ait Trebellius Pollio.

Juxta matrem adſtat filius puer *Caligula* & ipſe

ſe militari habitu & clypeatus, ut qui

In caſtris natus, patriis, nutritus in armis, &c.

Dextram manum elevatam tenet, quo ſtatu ſemper videmus vigiles qui in excubiis agunt in Columna Traiana. Conſule Ciacchonium in explicatione ejuſdem num. 22. 109. & 114.

Hinc eodem geſtu cernitur in nummis Claudii *Conſtantia* expreſſa. Deſignatur ergo, Caligulam à puero, cum manipulario habitu inter milites educabatur, jam tum officiis militaribus ſe exercuiſſe.

Calcat etiam arma hoſtium ob victorias Patris, & ſolus *Caligula* hic expreſſus eſt, non fratres ejus *Nero* & *Druſus*, quia ipſe Patrem in omnibus expeditionibus comitatus eſt. Vide Suetonium.

Illud notandum, nec *Germanicum*, nec filium ejus *Caligulam*, caliga militari indutos eſſe, ſed calceo aut ſocco qui totum pedem tegit, ut digniores militum videmus in Columna Traiana, Antoniana, & aliis antiquitatis monumentis; maximè quando ocreas portant. Ita in libello, qui notitiæ Imperii ſubjungitur, de rebus bellicis Thorocomachus deſcribitur, *Soccis etiam, hoc eſt calceamentis, & ferratis ocreis indutis, ſuperpoſita galea & ſcuto, ac gladio lateri aptato, arreptis lanceis in plenum, pedeſtrem ſubiturus pugnam miles armabatur.*

ANNOTATA.

AVGVSTALI SOLIO INSIDET TIBERIVS CÆSAR. De moribus Imp. Tiberii, ſic Lipſius cap. 6. de Principum inclinatione agens.

Quid Tiberium *Romanum Principem loquar? res pernota eſt, bonum fuiſſe, donec* Germanicus *ac* Druſus *ſuperfuêre; mixtum virtutibus ac vitiis, matre incolumi; poſt in omne ſcelus, flagitium, & infa-*

famiam prorupuisse, ut ipsum quoque interdum non factorum solum (animo torquente) sed vitæ pœniteret.

ÆGIDA, hanc pulchrè describit Quintus Calaber, lib 14. & Virgilius lib. 8.

Ægidaq; horrificam divinæ Palladis arma
Certatim squammis serpentum, auroq; polibant,
Connexosq; angues, ipsamq; in pectore Divæ
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

Ad quem locum Servius: *Ægis est propriè munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput, quod munimentum si in pectore numinis fuerit, Ægis vocatur, si in pectore hominis, sicut in antiquis Imperatorum statuis videmus, Lorica dicitur.* Martialis lib. 7. Epig. 1. ad Loricam Domitiani.

Accipe belligeræ crudum thoraca Minervæ,
Ipsa Medusææ quem timet ira Deæ.
Dum vacat, hæc Cæsar poterit Lorica vocari:
Pectore cum Sacro sederit, Ægis erit.

LIVIA: de ea Velleius Paterculus histor. lib. II. *Nobilissimi & fortissimi viri Drusi Claudiani filia, genere, probitate, formâ, Romanarum eminentissima, quam postea conjugem Augusti vidimus, quam transgressi ad Deos Sacerdotem ac filiam, tum fugiens mox futuri sui Cæsaris arma, cujus bimum hunc Tiberium Cæsarem, vindicem Romani Imperii, futurumque ejusdem Cæsaris filium, gestans sinu, per avia itinerum vitatis militum gladiis uno comitante, quo facilius occultaretur fuga, pervenit ad mare, & cum viro Nerone pervecta in Siciliam est.*

In ejus memoriam *Porticus Liviæ* excitata, de qua Naso in Fastis sic Posteritatem alloquitur:

Disce tamen, veniens Ætas, ubi LIVIA *nunc est*
PORTICVS, *immensæ tecta fuêre Domus.*

PAPAVERA. Cererem quandoque referunt, cujus habitu sæpe finguntur, ut docet Tristanus in Commentariis Historicis ad Numisma VIII. Antonini Pii. Cereri autem Papavera sacra sunt, ut ex Phurnuto & aliis constat.

BONÆ FORTVNÆ. Ut autem Livia hic ornata est insignibus FORTVNÆ, ita etiam in antiquo Numismate Augusti; in quo ab una parte visitur Augustus Laurea coronatus, ut Apollo; ab altera, Livia, Papavera, temonem Navis, & Cornucopiam tenens. Vide Tristanum Tab. 3.

CAPTIVUS ILLE QVI SELLÆ AUGUSTORUM

ASSIDET, sedens mœrens, & columnato brachio caput sustentans, forsan Phraates est Parthorum Rex, qui Regno extorris Augusti fidem & auxilium imploravit, & ab illo in Regnum est restitutus: sedet enim supplicis habitu ad pedes & suppedaneum Liviæ & Tiberii. Hinc Horatius de illo:

—— Jus Imperiumq; Phraates
Cæsaris accepit, pedibus minor.

GERMANICUM. De morte ejus ista leguntur apud Suetonium in Caligula. *Obiit autem (ut opinio fuit) fraude Tiberii, ministerio & opera Cn. Pisonis. Qui sub idem tempus Syriæ præpositus, nec dissimulans offendendum sibi aut Patrem, aut Filium, quasi planè ita necesse esset, etiam ægrum Germanicum gravissimis verborum ac rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo, affecit: propter quæ ut Romam rediit, penè discerptus à Populo, à Senatu capitis damnatus est.*

Omnes Germanico corporis animique virtutes, & quantas nemini cuiquam contigisse satis constat: Formam & fortitudinem egregiam, ingenium in utroque eloquentiæ doctrinæque genere præcellens: benevolentiam singularem, conciliandæque hominum gratiæ ac promerendi amoris mirum & efficax studium. Formæ minus congruebat gracilitas crurum, sed ea quoque paulatim repleta assidua equi vectatione post cibum. Hostem cominus sæpè percussit. Oravit causas etiam triumphales, atque inter cætera studiorum monumenta reliquit & Comœdias Græcas. Domi forisque civilis, libera ac fœderata oppida sine Lictoribus adibat. Sicubi clarorum Virorum sepulchra cognosceret, inferias Manibus dabat. Cæsorum clade Variana veteres ac dispersas reliquias uno tumulo humaturus, coligere sua manu & comportare primus aggressus est: Obtrectatoribus etiam, qualescumque & quantacumq; de causa nactus esset, lenis adeò & innoxius, ut Pisoni decreta sua rescindenti, clientelas diu vexanti, non priùs succensere in animum induxerit, quàm veneficiis quoque & devotionibus impugnari se comperisset: ac ne tunc quidem ultra progressus, quàm ut & amicitiam ei more majorum renuntiaret, mandaretq; domesticis ultionem, siquid sibi accideret.

Quarum Virtutum fructum uberrimum tulit: sic probatus & dilectus à suis, ut Augustus (omitto enim necessitudines reliquas) diu cunctatus, an sibi successorem destinaret, adoptandum Tiberio dederit: sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquò adveniret, vel sicundè discederet, præ turba occurrentium prosequentiumve nonnunquam eum discrimen vitæ adisse. E Germania verò post compressam seditionem revertenti, Prætorianas cohortes universas prodisse obviam, quamvis pronuntiatum esset, ut duæ tantummodò exirent. Populi autem Romani, sexum, ætatem, ordinem omnem, usque ad vicesimum lapidem effudisse se.

Ta-

Tamen longè majora & firmiora de eo judicia in morte ac post mortem extitere. Quo defunctus est die, lapidata sunt Templa, subversæ Deum aræ, Lares à quibusdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expositi. Quin & barbaros ferunt, quibus intestinum, quibusque adversùs nos bellum esset, velut in domestico communique mœrore consensisse ad inducias. Regulos quosdam barbam posuisse, & uxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus. Regum etiam Regem & exercitatione venandi & convictu Megistanum abstinuisse, quod apud Parthos justitii instar est.

Adſcribenda quoque Taciti verba Annal. lib. 2. qui ait eum obiiſſe: *Ingenti luctu Provinciæ & circumjacentium populorum. Indoluêre exteræ nationes Regesq;. Tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes: visuq; & auditu juxtà venerabilis, cùm magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam & adrogantiam effugerat. Funus sine imaginibus & pompa; per laudes, & memoriam virtutum ejus, celebre fuit. Et erant qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haut multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse. Sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse: neque minùs præliatorem, etiamsi temeritas abfuerit, præpeditusque sit perculsas tot victoriis Germanias servitio premere. Quod si solus arbiter rerum, si jure & nomine regio fuisset, tantò promtiùs adsecuturum gloriam militiæ, quantùm clementiâ, temperantiâ, cæteris bonis artibus præstitisset. Corpus antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochiensium, qui locus sepulturæ destinabatur. Prætuleritne veneficii signa, parùm constitit. Nam ut quis misericordiâ in Germanicum, & præsumptâ suspicione, aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur.*

SEGMENTUM III.

INferiori Segmento *Peireskius* novem decemve *Nationum Captivarum figuras* contineri, dixit, ſed quarum planius ille exiſtimarit, non addit.

Pleniùs ſeſe explicans *Albertus Rubenius*, hîc illuſtres captivos Germanos à CÆSARE GERMANICO domitos, & in triumpho traductos, exhiberi arbitratur, qui à Strabone recenſentur.

Nempe *Segimundus*, *Segestis filius*, *Cheruscorum Dux Sororq; ejus*, *Uxor Arminii*, *Thusvelda*: *nec non Filius ejus Thumelicus*, *tres natus annos*.

Præterea *Sesithiacus*, *Segimeri*, *Cheruscorum Ducis Filius*: *ejusque Uxor*, *Ramis*, *Veremeri Cattorum Ducis Filia*, & *Deudorix Sicamber*, *Boetoritis Filius*, *qui Frater erat Melonis*.

Porrò, Captivos istos qui in hac GEMMA spectantur Germanos non esse, non tantùm capitum tegumenta, & vestimenta cætera, sed & armorum genera clarè evincunt.

CIDARIM induta sedet pars maxima. Erat *Cidaris* circulus rotundus caput ambiens, in fluxam vestem per cervicem descendens: qualem describit *Julius Pollux* Onomastici lib. qui habitus Populi Asiatici, non Germanorum erat.

Præterea, cùm arcus, pharetræ, sagittæ, & Gorgon Palladis in Clypeo ibi spectentur; alteriùs Gentis arma illa esse certum est.

Neque enim Germani arcu aut sagittis utebantur, sed contis.

Quid hæremus? Armenii à *Tiberio Augusto* domiti hic designantur.

Rationi enim consonat, ut illius Trophæa hic recenseantur, qui caput & subjectum primarium est hujus Imaginis; nempe TIBERIUS, cujus gloriæ Segmentum inferiùs totum est destinatum. Eo enim continentur Armeniorum & Parthorum, erga Romanum Imperium reverentia, cultus & obsequium.

Suetonius bella per eum gesta recensens, expeditionis Armeniæ, meminit his verbis: *Ducto ad Orientem Exercitu*, *Regnum Armeniæ Tigrani restituit*,

tuit, ac pro Tribunali diadema imposuit. Recepit & signa, quæ Marco Crasso ademerant Parthi.

Perpendant quæso omnes qui Romanam Historiam ritè perscrutarunt, an quid præclariùs Tiberius in vita egerit, an quid gloriosiùs de illo dici possit?

ANNOTATA.

Arcus, Pharetræ, Sagittæ. ARMENII omnium gentium maximè sagittiferi erant. Undè Papinius lib. 1. Sylvar.

> *Pannoniusq; ferox, arcuq; horrenda fugaci*
> ARMENIA, *& patiens Latii jam pontis Araxes.*

Ovidius ad Liviam.

> ARMENIVSQVE *fugax.*

Claudianus Panegyr. de Consulatu Honorii.

> *Scis quo more Cydon, quâ dirigat arte sagittas,*
> ARMENIVS, *volucri quæ sit fiducia Partho.*

Cæterùm à læva parte carceris, captivus prope thoracem sedet, capillis calamistro vibratis, & in orbem tortis, sedent & alii, capillis tortis & erectis, Gorgonis quoque in scutis vibrati crines, ut ferocitatem ostentent capilli. Unde Claudianus de laudibus Stiliconis.

> *Illic* ARMENIÆ *vibratis crinibus alæ.*

Idem.

> —— *mixtus hic Colchus, Iberis,*
> *Hic mytra velatur Arabs, hic* CRINE DECORO
> ARMENIVS.

De Armeniorum vestibus sic Strabo lib. XI.

Armeniacam vestem Thessalicam esse aiunt, ut sunt DEMISSÆ TVNICÆ, &c.

Certè in hac Gemma *demissam tunicam* gestat is qui scutum cum Medusa serpentibus carens, dextra tenet.

JU-

JUDICIUM

NIC. FABRITII PEIRESKII *de hac Gemma, relatum à* PETRO GASSENDO *in vita ejus lib.* 3. *pag.* 288.

CIrciter id tempus ſpectavit curioſius Sacelli Baſilicæ, ſeu (ut vulgò indigitant) Sanctæ Capellæ Gazophilacium. In rariſſima autem illa, pretioſiſſimaque ſuppellectile, Cimelium detexit omni pretio majus, Cameum videlicet, ſive ACHATEM Orientalem, SARDONYCHEMVE ARABICAM, amplitudine fidei Pariſienſi, ſeu Regio exæquatam, in qua ſculptæ viſerentur miro artificio viginti quinque figuræ, omnes candore eminentes, & in nigro æquore flavedine quâdam ſubobſcura interſtinctæ. Exornata illa circumfuerat Chriſtianis figuris, & Epigraphis à Græco quodam Imperatore, adeò ut cùm BALDVINVS eam oppignoraſſet D. Ludovico, ac poſtmodum tandem veniſſet in manus CAROLI Regis, nomine QVINTI, & crederetur ſacram quandam continere hiſtoriam, in eum theſaurum, quaſi donarium religioſum fuerit illata.

Peireskius porrò, cùm rem ſpectaſſet, & ad figurarum conditionem attendiſſet, cognovit potius profanam quandam repræſentari hiſtoriam, & quantum conjecturis potuit aſſequi, credidit eſſe APOTHEOSIN DEFVNCTI AVGVSTI.

Eam nuper Joannes Triſtanus Santamantius, rerum antiquarum eximiè peritus, ære inciſo exhibitam in ſuos inſeruit Commentarios. Teſtatus eſt autem ſe primam illius notitiam hauſiſſe ex Peireskio, præfatus virum raræ adeò, exquiſitæque eruditionis, ut omnem ſuam commendationem inferiorem cenſeat: eâ claritate nominis quâ tota Europa evaſit illuſtris. Scribit deinceps ſe primâ vice in comitatu Peireskii ſpectaſſe hoc rarum antiquitatis monumentum, occepiſſeque conjicere ecquid rei repræſentaret. Quandoquidem verò temporis progreſſu circa nonnulla Capita à Peireskii mente deflexit, contigitque, ut aliquoties differentem ea de reΤὸν μακαρίτην audierim, ideo rem ingratam fortaſſis non faciam, ſi præcipua quædam interpretationis diſcrimina hic attigero, in illorum gratiam, qui rem totam ſtudioſiùs examinaturi Achatem ipſum, aut Ectypum, memoratumvè habuerint librum.

Ergo quem Santamantius interpretatur eſſe JOVEM, ſuccedente

dente *Æneâ*, Pericskius cenſuit eſſe AVGVSTVM, DEÆ ROMÆ ope elatum in cælum. Et quem ille vult eſſe *Auguſtum*, ipſe interpretatus eſt *Marcellum*, equorum amantem, quem fata terris ſolum oſtendêre: innuente *Româ*, quod ab illo recuſabatur Orbis Imperium, tradere ſeſe *Tiberio*, proximè ſuppoſito.

Et certè ſi attendas ad prototypum, adoleſcentis potiùs, quàm ſeneſcentis vultum agnoſces.

Sic, quem Peireskius ſub *Marcello* exiſtimavit eſſe *Druſum Tiberii* filium, manu verſus Jovem extenta, tanquam poſtulando poſt patrem, Imperium; autumat Santamantius eſſe *Numerium Atticum* contemplantem, atteſtantemque fuiſſe Auguſtum raptum in cælum, & quam aſſidentem *Druſo Livillam* uxorem ille cenſuit; cenſet hic eſſe poſſe *Juliam*, Auguſti filiam, in exilium actam; ut credidit illum ad dexteram Jovis eſſe *Druſum*, Tiberii fratrem, quem potiùs *Julium Cæſarem* Peireskius eſſe exiſtimavit. De *Germanico*, *Agrippina*, *Caligula* diſcrimen nullum; imo nec de *Tiberio*; niſi quod Peireskius veſtem Imperialem ſerpentibus circumdatam eſſe duxit *Ægidem Jovis*; appellavitque lanceam ſine ferro, ſceptrum prælongum. Sic cenſuit *Antoniam* Germanici matrem, quam Santamantius *Liviam* & contra *Liviam* eſſe putavit, quam Santamantius *Antoniam*, ſed hæc obiter.

Cæterùm Peireskius ita exſultavit ob præclarum adeò Cimelium repertum, ut non modò ad intuendum, & Santamantium, & cæteros, quotquot erant Pariſiis, curioſos viros invitarit; ſed etiam de eo litteras ad amicos in Angliam, in Germaniam, in Italiam, per totam Galliam & Belgium dederit.

Scripſit autem de eo præſertim ad Petrum Paulum Rubenium Antverpienſem Pictorem celeberrimum, & totius Antiquitatis, ſed Cameorum inprimis, ſtudioſiſſimum, peritiſſimumque, qui dicto citiùs exſiliit, ut rem ſpectaret cominus, & exprimeret coloribus vivis. Tulit autem Peireskius, Cimeliique vice nobilem habuit effigiem præter Ectypos, quos ex Achate ipſo expreſſit.

JOANNES TRISTANUS

IN COMMENTARIIS HISTORICIS

Imperatorum Romanorum, Gallicè conſcriptis *Achatem Tiberianum* interpretatur his verbis:

EXPLICATION

DE LA GRANDE AGATHE-ONYCE

Antique de la Sainte Chappelle de Paris.

nam quamdam hiſtoriam repræſentari, credidit-que Apotheoſin eſſe Auguſti, prout teſtatur elegantiſſimus Gaſſendus in Vita Peireskii, ubi etiam notat, eum varias hac de re litteras dediſſe ad amicos in Germaniam, in Italiam, per totam Galliam, præſertim verò ad Petrum Paulum Rubenium, parentem meum. Et aſſervantur etiamnum à me plures Peireskii Epiſtolæ, in quibus ſuam de hac Gemma ſententiam expromit, planè cum relatione Gaſſendi conſentaneam. Quod hic dico, ne quis fidem Gaſſendi aut memoriam in dubium revocet; ut factum video à nobili viro Joanne Triſtano Sanctamantio, cui plurimum ſanè debent omnes Antiquitatis ſtudioſi, non ſolùm quia infinitum rariſſimorum numiſmatum theſaurum in lucem protulit, ſed etiam quia egregium hoc Sacrarii Palatini κειμήλιον primo Hiſtoricorum Commentariorum volumini inſeruit, & tam luculenta face illuſtravit, ut verendum mihi ſit, ne præpoſteri aut temerarii conſilii arguar, qui actum agere, & aliquantulum non ab illo ſolum, ſed etiam à Peireskio deflectere auſus ſim. Quamvis enim hos viros antiquarum rerum ſcientiſſimos ſuſpiciam, tamen ad eos me non alligo: ſed nunc Peireskium, nunc Sanctamantium, aliquando neutrum ſequor: nonnumquam jubeo eos ſententiam dividere; nonnumquam nihil improbo ex his quæ priores cenſuerint, & dico, *Hoc amplius cenſeo.*

Tu videris, an juveniles hos conatus dignos prælo exiſtimes. Ego quidem illos domi continere ſtatueram, ne laureolam in muſtaceo quærere viderer, neve in aliquam forte eruditi viri offenſam inciderem, quem licet è ſcriptis ſuis tantummodo no-

notum, colo ac revereor. Etenim nonnulli ex iis qui nunc è litteris humanioribus nomen petunt, Regum ſibi animos induunt; & ſi quis vel leviter ab eorum ſententia diſcedere præſumat, auctoritatem ſuam violatam & diminutam eſſe credunt, atque ob improbatam unam atque alteram conjecturam ſuam, non minùs quàm ob editam in capitale crimen ſubſcriptionem, Vatiniana odia exercent. A quo quidem vitio longè alienus eſſe ſtudeo; ac enixè caveo, ne nimium mihi contra veritatem faveam, gnarus ex Heſiodi monito, *Secundam virtutem eſſe, moneri velle ac poſſe.* Quamobrem te obſecro, ut ſi me alicubi errare animadverteris, comiter monſtres viam; & quidquid ex opinione mea minus in meis divinationibus tibi placebit, corrigas, aut inverſo ſtylo deleas. Qua ſub lege & conditione concedo, ut ſi tibi ita viſum fuerit, hæc qualiacumque ſunt publicum accipiant. Vale Vir clariſſime, & me ama. Bruxellæ Kalend. Auguſti CIↃ. IↃC. LV.



DISSERTATIO
DE
GEMMA TIBERIANA.

INter Peireskium & Triſtanum convenit, principem hujus Gemmæ locum obtineri à Tiberio, qui throno inſidet habitu Jovis, & eodem planè cultu ornatus, quo Auguſtus Cæſar in ſubſequenti Gemma; præterquam quod hic velamentum femorum & tibiarum ſquamis aſperatum, & ſerpentibus fimbriatum eſt, prout Ægis deſcribitur à Virgilio:

Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim ſquamis ſerpentum auroq; polibant,
Connexoſque angues.

Quapropter Peireskius veſtem hanc Imperialem non immeritò Ægidem Jovis eſſe dixit. Sed adverſatur huic opinioni vir de antiquitate optime meritus, & demonſtrare conatur, Ægida dici non poſſe, cum nec pellis caprinæ ſpeciem referat, nec caput Meduſæ inſertum habeat, nec demum pectus occupet, ut Ægides in Palladiis ſolent. Verum quod quidem ad pellem caprinam attinet, Herodotus libro 4. diſerte negat, Ægidas ſimulacris Deorum & Græcis apponi ſolitas, è pellibus fuiſſe confectas. Τὴν δὲ ἄρα ἐσθῆτα, καὶ τὰς αἰγίδας τῶν ἀγαλμάτων τῆς Ἀθηναίης ἐκ τῶν λιβυσσέων ἐποιήσαντο οἱ Ἕλληνες. πλὴν γὰρ ὅτι σκυτίνη ἡ ἐσθὴς τῶν λιβυσσέων, ἐστὶ, καὶ οἱ θύσανοι οἱ ἐκ τῶν αἰγίδων αὐτῇσι οὐκ ὄφιες εἰσὶ, ἀλλ᾽ ἱμάντινοι, τὰ δὲ ἄλλα πάντα κατὰ τωῦτὸ ἔσταλται. Euſtathius ad ἐ Iliados, ubi hunc Herodoti locum explicat: Τὸ δὲ πλὴν ὅτι σκυτίνη ἡ ἐσθὴς τῶν λιβυσσῶν δηλοῖ τὰς παρ᾽ ἕλλησιν αἰγίδας ἐν ἀγάλμασι τυχὸν Διὸς ἢ Ἀθηνᾶς ὑφαντὰς ἢ πλεκτάς τινας εἶναι, καὶ οἷον σαγοειδεῖς μαλλωτάς. Τυχὸν μὲν ἐξ εὐπορίστου ὕλης, τυχὸν δὲ ἐκ τιμιωτέρας, οὐ μὲν αὐτοχρήμα αἰγᾶς, ἤτοι αἰγίδας, ὃ ἐστὶν αἰγῶν δορὰς.

Et ſanè, ſi Græcorum Ægides ſquamis Serpentum variatæ fuerunt, ut ex Virgilio conſtat; non video, quomodo pellibus caprinis ſimiles eſſe potuerint. Non etiam ſquamata hæc Jovis veſtis, Tiberio circumdata, ideo Ægidis appellationem obtinere non poteſt, quia caput Gorgonis nequaquam appoſitum eſt. Illud enim à Minerva demum Ægidi ſibi à Jove conceſſæ adjectum fuit,

ut

ut Poëtæ fabulantur, & ipſe contrariæ ſententiæ Auctor alicubi annotat. Ad ultimum non diffiteor, in priſcis monumentis plurimas Imperatorum imagines exſtare Ægide ad pectus armatas; ut in nummis Antonini Caracallæ, & Alexandri Severi apud Octavium Stradam; & in eximio Achate Ducis Bucquingamii, qui Conſtantinum Auguſtum præfert hoc habitu.



De ſtatua quoque Julii Cæſaris Chriſtodorus lib. 5. Anthologiæ:

Καῖσαρ δ' ἐγγὺς ἔλαμπεν Ἰούλιος, ὅς ποτε Ῥώμην
Ἀντιβίων ἔστεψεν ἀμετρήτοισι βοείαις
Αἰγίδα μὲν βλοσυρῶπιν ἐπώμαδον ἦεν ἀείρων.

Nec aliunde petenda explicatio nummorum Neronis apud Triſtanum numero 14. 20. & 23. in quibus angues loricæ ejus adjecti ſunt. At verò in hac Gemma cum Tiberius plane Jovi aſſimilatus ſit, qui intecto pectore fingebatur, quemadmodum ſuprà diximus, non quidem Ægis pectori circumdata, ſed ut ſculptoribus non minus quam

——— *Pictoribus atque Poëtis*
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

tegmen femorum in Ægidis morem formatum eſt, ab artifice ve-

veteris Mythologiæ, ut apparet, non imperito. Nonnulli enim ex antiquis Theologis Jovem esse dicebant Cælum & Aërem. Homerus ό Iliados:

Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι.

Ad quem locum Eustathius: Ζεύς πᾶς ὁ ὑπὲρ γῆς ἀήρ. ὅτε φωτιζόμενος ἀπὸ γῆς ἕως νεφῶν, καὶ ὁ ὑπὲρ τα νέφη, ὃν καὶ οὐρανὸν ὀνομάζει. Servius ad secundum Georgicorum: *Interdum pro aëre Juno, & pro æthere Jupiter accipitur: aliquoties & pro aëre, & pro æthere Jupiter; Juno verò pro terra & aqua.* Hinc superiora quidem Jovis membra, id est, Æther,

Perpetuum nulla violatus nube serenum,

absque ullo velamento exposita conspiciuntur; sed inferiora; quæ Aërem designant, nubibus obductum, & tempestatibus sæpè turbidum, Ægide tecta sunt. Hæc enim procellarum, nimborum atque turbinum symbolum est. Ideo Virgilius Ægida *nigrantem* dixit, & Silius Italicus

Nimbos flammasque vomentem.

Servius ad 8. Æneidos: *Sane Græci Poëtæ turbines & procellas* καταιγίδας appellant, quod Ægis mota faciat tempestates. Eustathius ad έ Iliados: Αἰγὶς νοεῖται, τα κατὰ τὴν ἀέρα πάθη, καὶ φοβήματα, ὧν ἔνια οὐ μόνον καταιγίδες λέγονται ἀλλὰ καὶ αἰγίδες ἀσυνθέτως.

Forte etiam cælator significare voluit hoc schemate, Tiberium civibus quidem Romanis intectum serenumque apparere, ut Jupiter cælicolis videri credebatur: at verò Barbaris infra se positis Ægida ostentare, & fulmina tempestatesque armorum suorum immittere.

Dextrum *Tiberi* latus claudit *Antonia* Drusi, sinistrum *Livia*, seu *Julia Augusta*, ut bene Peireskius. Illa recta adstat, & Germanicum filium amplectitur, hæc in eodem quo Tiberius solio sedet, utpote quæ Augusta erat, & dominationis ferè socia, ita ut litteræ Tiberio scriptæ etiam matri ejus inscriberentur, teste Dione libro 57. Quod miror non animadversum esse à viro oculatissimo, qui mutatis partibus personam Liviæ tribuit Antoniæ; & contrà, quam Peireskius & nos Liviam esse censemus, ipse Antoniam nominat. Sed ut argumentum illi suum reponam, nullam veri speciem habet, Antoniam quidem, quæ demum à

Caio

Caio Cæſare Auguſtæ titulum obtinuit, in Auguſtali throno locatam eſſe, Liviam verò Auguſtam Tiberio adſtare.

Dextra geſtat Livia ſpicas & papavera, ut omnes ferè Auguſtæ in numiſmatis & marmoribus antiquis. μήκωνες enim τῆς πολυγονίας σύμβολον, ut Porphyrius ait apud Euſebium lib. 3. cap. 11. Præparat. Evang.

Adjacet ſolio Barbarus quidam, tiara, tunica manicata, & ſarabaris velatus. Triſtanus putat eſſe ſervum aut libertum notarium, Tiberii & Germanici verba excipientem. Ego Armeniam eſſe opinor, quæ ſimili prope cultu, tiarata, tunicata & braccata conſpicitur in L. Veri nummis. De quo Orientalium Barbarorum habitu latè agit Briſſonius de regno Perſarum. Ego id ſolùm hic adjiciam, ex hac imagine liquido apparere, quænam ſint apud Lucretium *anademata*, apud Virgilium

—— *redimicula mitræ.*

Suſtentat triſtis Armenia ſiniſtra manu inclinatum caput, eodem geſtu quo Judæa aliæque Provinciæ ſæpè in nummis effigiatæ ſpectantur. Infeſtabatur enim tunc temporis regio hæc Vononis & Parthorum motibus; ad quos componendos, & opem afflictæ Armeniæ ferendam Livia Germanicum adhortari videtur.

Ille galea, clypeo, & ocreis inſtructus alacriter operam ſuam pollicetur, & tacto capite ſe obſtringit, paratus caput & vitam Reipublicæ & Tiberio patri impendere.

Adſiſtit Germanico Caius Cæſar Caligula manipulario habitu, qui patrem comitatus eſt in Syriaca expeditione, ut Suetonius refert cap. 10.

Agrippina Germanici, filio & marito adjuncta, non ſtola, ut Livia & Antonia, ſed chlamyde fibulatoria circumvelatur; quia nempè in caſtris ac expeditionibus plerumque verſata eſt. Sic Didoni ad venationem proficiſcenti chlamydem tribuit maximus Poëtarum.

Tandem progreditur magna ſtipante caterva
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Agrippina quoque Claudii uxor Naumachiam in lacu Fucino ſpectavit aurea chlamyde amicta, ut Tacitus, Plinius & Dio notant.

Ab altera parte pone thronum Tiberii, ſedet puella in humili

lecticula aut ſubſellio ſphingis imagine exornato, quæ ob illud inſigne, Julia Auguſti filia exiſtimatur à Triſtano. Sed vix credere poſſum, vomicam hanc domus Auguſtæ hic expreſſam eſſe, & quidem ſub Tiberio, qui infeſto ſemper odio illam proſecutus, mox ut principatum adeptus eſt, extorrem, infamem, & poſt interfectum Agrippam, omnis ſpei egenam inopia ac tabe longa peremit. Incidit autem mors Juliæ, Tacito teſte, in annum Julianum 59. ab Vrbe condita 767. At certum eſt, gemmam hanc cælatam eſſe poſt reditum Germanici è Germania, qui contigit exeunte anno Juliano 61. aut ineunte 62. duobus minimum poſt Juliæ mortem annis. Itaque rectius meo judicio Pierieskius cenſuit, eſſe Liviam ſeu Livillam Germanici ſororem, nuptam Druſo Tiberii filio; cui ſententiæ ſuffragatur inſignis gemma Bucquingamii Ducis, quæ refert Livillam eodem filo vultus, ſerto è ſpicis & papaveribus contexto coronatam, duoſque gemellos in ſinu habentem. Quantum ad ſphingem, vulgari apud Romanos Græcoſque artificio fulcra lectorum & ſellarum in ſphingium & gryphum ſpeciem deformari ſolebant. Callixenus Rhodius apud Athenæum lib. 5. Ἐκείνου δὲ καὶ κλῖναι χρυσαῖ σφιγγόποδες, ἐν ταῖς δυσὶ πλευραῖς ἑκατόν. Iſidorus lib. 20. cap. 11. *Sphingæ ſunt ſphingatæ effigies, quas nos Gryphos dicimus.*

Adſiſtit Livillæ juvenis galeatus & paludatus, dextram cælum verſus protendens. Hunc Triſtanus Numerium Atticum eſſe credit, eo geſtu expreſſum, quo Auguſtum in cælum aſcendentem à ſe conſpectum affirmaverat. De qua opinione ut nihil aliud dicam, certe non video, quâ ratione Numerio Senatori & Prætorio viro galea & chlamys conveniat, cum ille non in expeditione aliqua, ſed Romæ, aut extra Urbem via Appia, Auguſti Apotheoſin ſibi viſam juraverit; nec Romæ aut in Latio Senatores cum galea & chlamyde aut paludamento incedere ſolerent, niſi Conſules & Prætores, cum ad bellum ex Urbe proficiſcebantur, aut ex bello redibant.

Adhæc, trophæum quod adoleſcens ille humeris geſtat, planiſſimè ſententiam hanc condemnat. Nec enim mihi probat vir nobilis, hoc trophæum denotare exuvias mortales Auguſti ex æthere decidentes. Itaque cum Peireskio Druſum hunc eſſe puto Tiberii filium, Livillæ maritum, qui trophæum fert; quia tunc cùm Germanicus in Syriam profectus eſt, in Illyrico feliciter res geſſit, & Suevos atque Marcomannos mutuis diſcordiis attrivit; qua de cauſa paulo poſt ovatio ei decreta fuit. Expan-

panſam verò dextram ad cælum elevat Druſus, ut promptum ſe teſtetur ad quævis pericula pro Majeſtate Imperii Romani ſubeunda. Ita apud Lucanum,

—— Cunctæ ſimul aſſenſere cohortes,
Elataſque alte quæcumque ad bella vocaret
Promiſere manus.

In ſuperiori gemmæ parte quatuor Divi aut Heroes conſpiciuntur, quorum unus orbem manibus tenet. Hunc Æneam eſſe, facile Triſtano aſſentior: niſi quis forte ex juvenili & imberbi facie conjicere malit Julum eſſe, Juliæ gentis auctorem: habitus certè Phrygem arguit, nempè tiara, tunica manicata, chlamys & braccæ: qui cultus Phrygum erat; à quibus ad Armenios fluxit Phrygum colonos, ut Herodotus ait lib. 7. Ἀρμένιοι δὲ κατάπερ Φρύγες ἐσεσάχατο, ἐόντες Φρυγῶν ἄποικοι. De tiara aut mitra Phrygia obvia paſſim Scriptorum veterum teſtimonia. De tunica & manicis Virgilius lib. 9. Æneidos:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

De chlamyde & braccis idem lib. 11.

—— Tum croceam chlamydemque, ſinuſque crepantes
Carbaſeos, fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

Euripides in Cyclope de Helena & Paride:

—— ἣ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους
Περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα, καὶ τὸν χρύσεον
Κλοιὸν φοροῦντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα.

Londini in ædibus Arundellianis exſtat haloſis Troiæ in antiquo marmore, quod omnes Troianos hoc modo cultos exhibet.

Orbem manu geſtat Æneas aut Julus, ob Imperium orbis terrarum, quod Julia familia obtinuit.

Supra hunc emicat alius radiata corona, & velo ſceptroque inſignis, qui Peireskio Auguſtus, Triſtano Jupiter eſt. Ego Peireskio accedo; nam Jupiter diverſo omnino ſtatu & habitu in priſcis monumentis apparet. Etenim, ut alia nunc omittam, quis neſcit, profundam Jovi barbam ab omni antiquitate tribui? Cicero lib. 1. de Natura Deorum; *Iſto namque modo dicere licebit Jovem ſemper barbatum, Apollinem ſemper imberbem, cæſios oculos Minervæ, cæruleos eſſe Neptuni.* Arnobius lib. 6. *Riciniatus Jupiter atque barbatus.* Prudentius:

Barbam rigentem dum Jovis
Circumplicat.

Nec eſt quod aliquis Jovem Anxurum & Caſium opponat: nam & hic & ille puerili aut juvenili ſpecie facti erant. Servius ad 7. Æneidos: *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Jupiter, qui Anxurus dicebatur, quaſi ἄνευ ξυρᾶς, id eſt, ſine novacula, quia barbam numquam raſiſſet; & Juno virgo, quæ Feronia dicebatur.* De Caſio Jove Achilles Tatius lib. 3. de Clitophontis & Leucippes amoribus: Τὸ δὲ ἄγαλμα νεανίσκος ἦν. Idem cenſendum de ſtatuis Jovis quas Pauſanias memorat 1. Eleacor. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Ζεὺς οὐκ ἔχων πω γένεια: & paulò poſt: Ἄγαλμά ἐστι Διὸς οὐκ ἔχον γένεια οὐδὲ αὐτό. At noſter ſenilem planè ætatem præfert, & raſum tamen mentum habet, quod Jovi nullo modo convenit. Et ſane ſi quis vultum ejus conferat cum priſcis gemmis & numiſmatis Auguſtum jam ſenem referentibus, haud dubiè aſſentietur Peireskio: radiata autem corona cinctus eſt, quia Auguſtus

—— *Phœbigenam ſeſe gaudebat haberi.*

Et à patre ſuo viſus fuit in ſomnio mortali ſpecie amplior, cum fulmine & ſceptro, exuviiſque Jovis optimi maximi, ac radiata corona, ſuper currum laureatum, ut Suetonius narrat cap. 94. Tranſiit autem ab Auguſto ad cæteros Imperatores radiatæ coronæ uſus: maximè ad eos qui in Deos relati erant. Lucanus lib. 7.

Bella pares ſuperis facient civilia divos,
Fulminibus manes, radiiſq; ornabit & aſtris,
Inque Deum templis jurabit Roma per umbras.

Velum capiti circumpoſitum conſecrationis inſigne eſſe, viri docti annotarunt ex numiſmatis. Euſebius lib. 4. cap. 73. de Vita Conſtantini. *Jam verò in numiſmatis quoque expreſſæ formæ, quæ ab una parte beatum hunc noſtrum obvoluto capite repræſentabant, ab altera parte quadrigæ, inſtar aurigæ, inſidentem ſuſceptum à dextra manu cælitus demiſſa.* Habeo aliquot hujuſmodi nummos penes me, ſed eorum formam jam publico dederunt Eminentiſſimus Baronius ad annum 337. Antonius Auguſtinus dialogo 1. & Triſtanus tomo 3. qui etiam ſtudioſè quærunt, cur Imperatores poſt conſecrationem capite obvoluto repræſentati fuerint. Ego arbitror ideo illud fieri ſolitum, quia cadavera hoc habitu rogo imponebantur. Virgilius lib. 11.

—— *Arſuraſq; comas obnubit amictu.*

E rogo autem aſſurgere ad immortalitatem credebantur divi. Sed ut

ut ad gemmam noſtram revertar, cum Auguſto jam ſuus locus aſſignatus ſit, non magnopere mihi laborandum eſt, ut viri eruditi opinionem refellam, qui Auguſtum alato equo imponit. Et ſane vector Pegaſi, adoleſcentis potius quàm ſeneſcentis faciem habet, quemadmodum obſervavit Peireskius, qui proinde Marcellum eſſe credebat. Mihi videtur, ex filo vultus, Druſus Germanicus eſſe, Tiberii frater, Germanici Cæſaris pater. Sed qua de cauſa alatus illi equus tribuatur, accuratius inquirendum. Et olim quidem exiſtimavi, Druſum Bellerophonti comparatum eſſe, non ſolum ob eximias corporis ac animi dotes; verum etiam quia, ut Bellerophon à Pegaſo excuſſus coxam fregit, ita Druſus ex fractura, equo ſuper crus ejus collapſo, obiit triceſimo poſt die. Sed & alia nunc hujus rei ratio occurrit: deprehendo etenim ex Pedone Albinovano, aliquem ex Poëtis illius ævi finxiſſe, ſolemni tunc adulatione, Druſum ex rogo à Venere ereptum, & in ſtellam Heſperum mutatum fuiſſe. Pedonis verba ſunt in Epicedio Mæcenatis, quæ non neſcius ſum aliter à Scaligero explicari:

Quæſivere chori juvenem ſic Heſperon illum,
Quem nexum medio ſolvit in igne Venus.
Quem nunc in fuſcis placida ſub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.

Ubi ſub juvenis nomine manifeſtè Druſum intelligit; quem ita paſſim appellat, ut in carmine ad Liviam:

Nec juvenis poſiti ſupremos destrue honores.
&, *Accipient juvenem Germanica ſigna ferentem.*

Sic etiam, in principio Epicedii Mæcenatis:

Defleram juvenis triſti modo carmine fata.

Nam aliud agebat Scaliger, dum ſcripſit, Epicedium de morte Druſi hic non poſſe intelligi; quia poſt Agrippam mortuus ſit. Ita quandoque etiam magni viri dormitant.

Hanc verò fabulam de Druſo à Venere in cælum tranſlato, & in Heſperon converſo, ſecutus ſculptor gemmæ, Druſum hic pennato equo, Veneris miniſtro, impoſuit: eodem enim modo & comam Berenices, Veneris juſſu in cælum à Pegaſo deportatam tradidit Callimachus; & ex eo Catullus:

Abjunctæ paulo ante comæ, mea fata, ſorores
Lugebant, cum ſe Memnonis Æthiopis
Unigena impellens nutantibus aëra pennis
Obtulit Arſinoës Chloridos ales equus.

 Iſque

Isque per ætherias me tollens advolat auras,
Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephiritis eo famulum legarat.

Præterea cum Drusus in Hesperum mutatus fuisse post obitum creditus sit, non immerito volucri equo vehitur; namque singulares equos Lucifero & Hespero ab antiquitate datos fuisse, jam à Scaligero lib. 2. de Emendatione temporum, & aliis annotatum est. Immo Lucifero (qui idem cum Hespero) Pegasum tribui in priscis monumentis docet vir Cl. Janus Casperius Gevartius in Pompa Introitus Ferdinandi Austriaci Hisp. Infantis, Cardinalis, in urbem Antverpiam. Auroram quoque (cujus filius Hesperus) Pegaso vectam inducit Lycophron. Qua de re videndi Isaacius Tzetzes ad Lycophronem, & Eustathius ad Ψ Iliados.

Porro ut clarius constaret, equum hunc Veneris famulum esse, & Drusum Hespero assimilatum.

Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,

apposius est Cupido ductor & moderator habenarum, cujus sub imaginem haud dubiè hic expressus est filius Germanici, de quo Suetonius cap. 7. lib. 4. *Unus jam puerascens raptus est insigni festivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit: Augustus in cubiculo suo positam, quotiescumque introiret, exosculabatur*: quod Peireskio & Tristano etiam visum.

Superest unus etiamnum Heros paludatus & laureatus, ac clypeum utraque manu retinens. Hunc Peireskius D. Julium, Tristanus Drusum Germanicum esse credunt. Sed de Druso jam dictum, Peireskii sententiæ repugnant omnes veteres nummi, gemmæ & statuæ. Julium Cæsarem diversa plane facie exhibentes. Ego, cùm videam totam ferè Tiberii Cæsaris domum hîc expressam esse, non invenio alium; cui hanc personam assignem, quam Tiberium Claudium Neronem, Tiberii Cæsaris patrem naturalem, qui Alexandrino bello classi præpositus, Ægyptios prælio navali vicit, ut Dio narrat libro 42. qua de causa hic laurea coronatus est. Deinde Perusino bello L. Antonium secutus, deditione à cæteris facta, solus permansit in partibus; atque ideo forsitan in hac Gemma clypeum utraque manu retinet: nam deditionem facientes solebant clypeum abjicere, aut convertere, aut capiti imponere. De his Appianus lib. 11. Civilium: Οἱ δὲ ἐπέθεσαν ταῖς κεφαλαῖς τὰς ἀσπίδας, ὅπερ ἐςὶ σύμβολον ἑαυτοὺς παραδιδόντων. De conversione clypei Ammianus l. 16.

Eum-

Eumque ſecuti complures, jam pila quatientes & gladios, ad Imperatorem tranſeunt cum vexillis, ſcuta perverſa geſtantes, quod defectionis ſignum eſt apertiſſimum. Themiſtius Orat. 9. de eadem hac defectione: Ἅμα τῷ γνῶναι ὀντὸς τῶν σῶν ὀφθαλμῶν ὑπὸ μάλης ἐκ ρυπτον τὰς ἀσπίδας ὥσπερ φώρια κακοῦργοι καταληφθέντες ἐπ αὐτοφώρο. Ambroſius de Elia & jejunio cap. 13. *In bello ſi quis inferiorem ſe viderit, arma convertit, & meretur veniam.* Argute itaque Tiberius Nero hic expreſſus videtur, non convertens & ſub ala occultans clypeum, ſed ſiniſtræ aptatum, dextra etiam complectens, atque eo geſtu ad D. Auguſtum accedens: quia, ut dixi, deditione à cæteris facta ſolus permanſit in partibus, ac primo Præneſte, inde Neapolim evaſit, ſerviſque ad pileum fruſtra vocatis in Siciliam profugit, & demum ad M. Antonium trajecit in Achaiam, cum quo, brevi reconciliata inter omnes pace, Romam rediit, ut Suetonius tradit. *Sanctiores* autem, Seneca teſte, *tutioreſque ſunt hoſtibus ſuis, qui in fidem cum armis veniunt.*

Imum gemmæ ſegmentum refert illuſtres captivos Germanos, à Cæſare Germanico in triumpho traductos. Plerique recenſentur à Strabone lib. 7. cujus verba adſcribenda. *Pœnas tamen univerſi dederunt, & Germanico pulcherrimam triumphi materiam, in quo viros illuſtriſſimos ac fœminas traduxit, inter quos Segimundus erat Segeſtis filius, Cheruſcorum Dux, ſororque ejus uxor Arminii, (qui belli dux fuerat, cum violata pace Quinctilium Varum circumvenerunt, & nunc etiam bellum fovet) nomen Thuſnelda: nec non filius ejus Thumelicus, tres natus annos; & præterea Seſithacus, Segimeri Cheruſcorum Ducis filius, ejuſque uxor Rhamis, Vercmeri Cattorum Ducis filia: & Deudorix Sicamber, Bœtoritis filius, qui frater erat Melonis. Segeſtes autem Arminii ſocer, qui & ab initio belli ſententiæ generi adverſatus erat, & capto tempore ad Romanos transfugerat, tunc cum honore & dignitate intererat triumpho, in quo liberi ejus traducebantur. Ductus eſt etiam in pompa Libys Cattorum ſacerdos, aliique plures.* Hactenus Strabo. Et omnes quidem ab illo enumeratos captivos hac in Gemma ſpectari, vix mihi dubium eſt. Thuſneldam ſane agnoſco, & in gremio ejus Thumelicum, qui capite geſtat circulum, non diſſimilem ſpiris illis rotundis, quibus capita infantium munire ſolemus in Belgica & Germania; cætera nudus eſt. Tacitus de liberis veterum Germanorum: *In omni domo nudi ac ſordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excreſcunt.* Thumelicum verò triennem in triumpho Germanici traductum fuiſſe, Strabo ſcribit: at, ſi Tacito fides, biennium

vix

vix excesserat; venit enim gravida Thusnelda in potestatem Germanici, & virilis sexus stirpem edidit, verè anni Juliani LX. Druso Cæsare & Norbano coss. Triumphavit autem Germanicus A. D. VII. Kal. Junias; anno Juliano LXII. C. Cælio, L. Pomponio coss.

Juvenem, qui Thusneldæ assidet, fratrem ejus Segimundum esse suspicor, de quo Tacitus lib. I. Annal. *Neque multo post Legati à Segeste venerunt, auxilium orantes adversùs vim popularium, à queis circumsidebatur; validiore apud eos Arminio, quando bellum suadebat. Nam Barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus, rebus commotis potior habetur. Addiderat Segestes Legatis filium nomine Segimundum; sed juvenis conscientia contabatur: quippe anno quo Germaniæ descivere, Sacerdos apud Aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles. Adductus tamen in spem clementiæ Romanæ, pertulit patris mandata, benigneque exceptus, cum præsidio Gallicam in ripam missus est.* Ara hæc Ubiorum videtur sacrata fuisse D. Julio & Augusto. Hinc Arminius apud Tacitum libro eodem: *Coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium: hominem Germanos numquam satis excusaturos, quod inter Albim & Rhenum virgas, & secures, & togam viderint.* Ubi legendum, redderet filio sacerdotium hominum: Germanos numquam satis excusaturos, quod inter Albim & Rhenum virgas, & secures, & togam viderint. Aut cum Viro magno: *Redderet filio sacerdotium manium: Germanos numquam*, &c.

Gronovius lib. 2. cap. 3. Observat.

Adhæret Segimundo alius captivus revinctis post tergum manibus. Hunc Sesithacum patruelem Segimundi esse conjicio, mulieremque illi adjunctam, quæ parmæ incumbit, Rhamin uxorem Sesithaci. De Sesithaco Tacitus: *Jam Stertinius ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segestis præmissus, ipsum & filium ejus in civitatem Ubiorum perduxerat, data utrique venia; facile Segimero, cunctatius filio, quia Quinctilii Vari corpus inlusisse dicebatur.*

Barbarus in extremo gemmæ angulo sedens horrida facie, tortisque crinibus, Deudorix Sicamber esse videtur.

Ab altera parte, pone Thusneldam, alius captivus manu caput sustinet: hunc culter seu machæra sacrifica, qua succingitur, Libyn esse arguit Cattorum sacerdotem: imò & vittæ mitraque capiti circumpositæ id indicare videntur; quamvis liquido discerni non possint in Gemma, quæ hac in parte injuria temporis imminuta est.

Inter

Inter Libyn & Thusneldam apparet matrona barbara, cum puella, quæ & ipsa barbarum in morem culta est. Arpi Principis Cattorum conjugem filiamque esse reor. De quibus Tacitus lib. 2. Annalium: *Neque Silio ob subitos imbres aliud actum, quàm ut modicam prædam, & Arpi Principis Cattorum conjugem filiamque raperet.*

Atque hæc mea de pretiosissimo hoc monumento sententia: quæ si fortè, ut vereor, nequaquam omnibus probatur, non repugno.

Καὶ πρὸς μὲν τούτους ἄρκεῖ, λογὸς ὡς ὁ παλαιὸς
Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ᾽ ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε.

DISSERTATIO
DE
GEMMA AUGUSTÆA.

LAudat Suetonius moderationem Cæsaris Augusti, quod *Templa, quamvis sciret etiam Proconsulibus decerni solere, in nulla tamen Provincia, nisi communi suo Romæque nomine suscepit.* Hinc in marmoribus antiquis sæpè legimus:

ROMÆ. ET. AVGVSTO
CÆSARI. DIVI. F.
&, SACERDOS. PERP. ROM. ET AVG.
in aliis: FLAM. ROM. ET AVG.

Athenis quoque, antequam à Mahomete Turcarum Principe everterentur, vestibulo Templi in arce inscriptum fuisse aiunt:

Ο ΔΗΜΟΣ. ΘΕΑΙ. ΡΩΜΗΙ. ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ.

Pari adulatione Herodes magnus, postquam urbem, Stratonis turrim ante nominatam, reparavit, & Cæsaream appellavit, templum ibi Augusto sacrum exstruxit, binaque in illo simulacra posuit, Τὸ μὲν Ρώμης, τὸ δὲ Καίσαρος. ut Josephus tradit lib. 15. cap. 13. antiquitat. & uberius lib. 1. cap. 16. excidii. Καὶ τοῦ στόματος ἄντικρυς ναὸς Καίσαρος ἐπὶ γηλόφου κάλλει καὶ μεγέθει

διάφορος, ἐν δὲ αὐτῷ Κολοσσὸς Καίσαρος οὐκ ἀποδέων τοῦ Ὀλυμπίασι Διὸς, ᾧ καὶ προσεικάσται Ῥώμης δὲ ἴσος Ἥρᾳ τῇ κατ᾽ Ἄργος. quæ malè versa à veteri Interprete : *Contra ostium verò portus in colle, Cæsaris templum, magnitudine simul & pulchritudine conspicuum, in eoque Cæsaris colossus, non minor quam Jovis apud Olympiam, cujus ad exemplar factus est, Romano autem par, & Junoni, quæ Argis est.* Nec melius Josephi mentem percepit Auctor librorum de excidio urbis Hierosolymitanæ, qui sub Hegesippi persona circumfertur lib. 1. c. 35. *Et templi medio colossum constituit, Augusti nomine, velut simulacrum ipsius, quod non minoris magnitudinis foret simulacro Olympii Jovis, aut Junonis Argivæ.* Sed utraque hæc interpretatio longissimè à Josepho abit : dicit enim ille, Colossum quidem Cæsaris Olympico Jove non minorem, atque ad eamdem formam effectum fuisse; statuam verò urbis Romæ, æqualem magnitudine simulacro Junonis Argivæ. Porrò ut colossus Cæsariensis Jovis, Olympici specie formatus erat; ita in hac Gemma Augustus σύνθρονος Romæ Jovi assimilatus est. Nam & Pedo Albinovanus ei viventi Jovis nomen tribuit in Elegia ad Liviam:

Nata quod es altè, quod fœtibus aucta duobus,
Quodque etiam magno consociata Jovi.

Habitum, quo Jupiter pingi solebat, describit Porphyrius apud Eusebium lib. 3. cap. 9. Præparationis Evangelicæ : Ἀνθρωπόμορφον δὲ τοῦ Διὸς τὸ δείκελον πεποιήκασιν, ὅτι νοῦς ἦν καθ᾽ ὃν ἐδημιούργει, καὶ λόγοις σπερματικοῖς ἀπετέλει τὰ πάντα. κάθηται δὲ, τὸ ἑδραῖον τῆς δυνάμεως αἰνιττόμενος. γυμνὰ δὲ ἔχει τὰ ἄνω, ὅτι φανερὸς ἐν τοῖς νοεροῖς καὶ τοῖς οὐρανίοις τοῦ κόσμου μέρεσίν ἐστί· σκέπεται δὲ αὐτῷ τὰ πρόσθια, ὅτι ἀφανὴς τοῖς κάτω κεκρυμμένοις· ἔχει δὲ τῇ μὲν λαιᾷ τὸ σκῆπτρον, καθ᾽ ὃ μάλιστα τῶν τοῦ σώματος μερῶν τὸ ἡγεμονικώτατόν τε καὶ νοερώτατον ὑποικουρεῖ σπλάγχνον ἡ καρδία. Βασιλεὺς γὰρ τοῦ κόσμου ὁ δημιουργὸς νοῦς· προτείνει δὲ τῇ δεξιᾷ, ἢ ἀετὸν ὅτι κρατεῖ τῶν ἀεροπόρων θεῶν, ὡς τῶν μεταρσίων ὀρνέων ὁ ἀετός. ἢ νίκην ὅτι νενίκηκεν αὐτὸς πάντα. Codinus in Constantinopoli : Ἄγαλμα πλατύτατον τοῦ Διὸς καθήμενον ἔχον τὰ μὲν ἄνω γυμνὰ, τὰ δὲ κάτω σκεπασμένα· περιεῖλε δὲ τῇ μὲν εὐωνύμῳ χειρὶ σκῆπτρον, τῇ δὲ δεξιᾷ ἀετὸν προτείνει. Adde his, si lubet, Suidam in voce Ζεύς. Exstant passim Græca & Romana numismata, in quibus Jupiter hac specie expressus cernitur, seminudus, & inferiores tantum corporis partes peplo tectus, sellæ insidens, & sinistra sceptrum tenens, dextra Aquilam aut victoriam pro-

protendens. Imò in Tarraconensium nummis inscriptis, DEO *Apud Anto-*
AVGVSTO, ipse Augustus ita effictus est cum hasta & victo- *nium Au-*
ria, planè ut in hac Gemma; præterquam quod non victoriam *gustinum*
hic vel Aquilam (quæ tamen sellæ apposita est) sed lituum dex- *dialogo 7.*
tra portat, ob auguratum nempè, quo omnes Romanorum Reges & Imperatores insigniti fuerunt. Romulum quidem Plutarchus affirmat Augurem fuisse, & gestasse ἐπὶ μαντικῇ τὸ καλούμενον λίτυον. Virgilius de Pico Latii Rege:

Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabeâ.

Numa Pompilius, Ancus Marcius, Julius Cæsar, Augustus, aliique Cæsares, in nummis antiquis sæpissimè occurrunt cum lituis.

Roma Dea, Augusto assidens, Liviam vultu referre videtur: galeam, hastam, clypeum & parazonium habet, prout à Claudiano & Sidonio Roma ipsa describitur, & in priscis monumentis, quæ in Urbe, in hortis Cæsiis, & ædibus Justinianæis supersunt, etiam nunc spectatur.

Romæ & Augusto superpositus est in orbiculo Capricornus:

——*In Augusti felix qui fulserit ortum.* *Manil. l. 1.*

Suetonius c. 94. *Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota sideris Capiocorni, quo natus est, percusserit.* In Genethliaco enim themate Augusti, sors Fortunæ (quæ ab antiquis Astrologis censebatur ὥσπερ σεληνιακὸς ὡροσκόπος, velut *lunaris Horoscopus*, à quo thema Athlorum deducebant) Capricornum obtinuit, ut optimè pervidit Ptolemæus sæculi nostri Gotifredus Vendelinus qui in Commentariis *De die natali Augusti*, quem nobis propediem promittit, nodum hunc de Horoscopo Augustæo, magnorum hactenus virorum ingeniis inexplicabilem, feliciter dissolvit. Atque illius sanè sententiam egregiè firmant nummi Augustæi nota hujus sideris percussi, in quibus Capricornus plerumque gubernaculum navis, orbem & cornucopiæ præfert, ipsa nempè Fortunæ insignia; de qua Lactantius lib. 3. c. 29. Institutionum Divinarum: *Nam simulacrum ejus cum copiæ cornu & gubernaculo fingunt, tamquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat.* Imò etiam fortassis eamdem ob causam, Capricornus hic orbiculo inclusus est: sortem enim Fortunæ circulo decussato designant Astrologi; quia, ut Scaliger existimat, sortes omnes ligneæ vel eburneæ ita scalperentur. Genitus autem Augustus (ut hoc obiter hic addam)

non menſe Julio Juliano, in quem conveniſſe tunc Septembrem antiquum credunt Scaliger, Calviſius, Keplerus, & alii; ſed IX. Kal. Octobris ad Kalendarium Julianum reducti, paulò ante ſolis exortum, M. Tullio Cicerone, & C. Antonio coss. dies verò vigeſima tertia Septembris Juliani, ſeu IX. Kal. Octobris incidit anno illo in XV. aut XIV. Kal. Novembris antiqui; qua die Cicero è ſomno excitatus à M. Craſſo, M. Marcello, & Scipione Metello, ac de conjuratione edoctus ex litteris ad Craſſum alioſque ſcriptis, prima luce convocavit Senatum, Octaviuſque pater Auguſti, ob uxoris puerperium, ſerius in Curiam venit.

Sed hæc in anteceſſum dicta ſunto; aliàs enim latius de hac re agemus Deo volente, annoſque Romanos veteres à Conſulatu Ciceronis & Antonii uſque ad reformationem Julianam, cum annis Julianis, quos fingimus ſemper fuiſſe, comparabimus.

A tergo Auguſti conſpicitur matrona turrito diademate, & velo tecta, quæ ſenem, nudum & vultu crinibuſque horridum complectitur. Hunc Neptunum, illam Cybelen eſſe exiſtimo, à quibus Auguſtus laureo ſerto coronatur, ob victorias terra marique partas.

Adjacet his Agrippina Germanici, quæ dextro cubito ſolio Auguſtæo innixa, ſecuritatem populi Romani, hoc geſtu ferè ſemper in nummis expreſſam, repræſentat, & ſimul hilaritatem generis humani ob felix Auguſti Imperium: qua de cauſa cingitur corona hederacea.

Læta quod pubes hedera virenti
Gaudeat.

Cornucopiæ quoque tenet, & puerulis nudis ſtipatur, ut Hilaritas in nummis Hadriani. Præterea ornata eſt circulo πεπιτραχηλίῳ, à quo aurea bulla dependet. Hoc genus ornamenti muliebris, Græci μηνίσκους, Latini *lunulas* appellabant. Ut enim Plutarchus ait in quæſtionibus Romanis, ubi de bullis puerorum agit: Τὸ φαινόμενον σχῆμα τῆς σελήνης, ὅταν ᾖ διχόμηνος, οὐ σφαιροειδὲς ἀλλὰ φακοειδές ἐστι καὶ δισκοειδὲς. De his lunulis Hieronymus ad caput tertium Iſaiæ: *Habent mulieres in lunulæ ſimilitudinem bullulas dependentes.* Et Baſilius: Μήνισκος τοίνυν κόσμος ἐστὶ χρυσοῦς περιτραχήλιος κυκλοτερῶς ἀπειργασμένος. Suidas μηνίσκους interpretatur πέταλα περιτραχήλια. Exſtat apud me Cleopatræ imago in gemma, ſimili omnino bulla inſignis, cum M. Antonii imagine in pectore. Livillam quoque Druſi, nec non Meſſallinam, eodem modo adornatas præferunt gemmæ veteres,

quas

quas Dux Bucquingamius olim à parente meo comparavit. Sed de his aliisque ornamentis muliebribus latius alibi agam Deo volente.

Ab altera sellæ Augustææ parte stat Germanicus Cæsar, Agrippinæ maritus, paludatus, accinctusque, & læva manu capulum parazonii continens, nisi fortè bulla triumphalis sit; nam in ectypo quidem liquido discerni non potest. Bullam autem inter insignia triumphantium enumerat Macrobius; & Germanicum triumphalibus ornamentis exornatum fuisse Dio testatur, ob strenue navatam in bello Illyrico operam.

Hoc bellum, quod gravissimum omnium externorum bellorum post Punica, ut Suetonius ait, per 55. legiones, paremque auxiliorum copiam triennio gessit Tiberius; exarsit ætate anni ab urbe condita Varroniani 759. sive Periodi Julianæ 4719. M. Æmilio C. Arruntio coss. & profligatum ac demum confectum fuit anno V. C. 762. Periodi Julianæ 4722. P. Sulpitio Camerino, C. Poppæo Sabino coss. Quo quidem tempore ob domitos Dalmatas & Pannonas, triumphus Tiberio decretus: Germanico autem, legatisque aliis triumphalia ornamenta concessa fuerunt. Sed nuntiata interim clade Variana, Tiberius triumphum distulit: nihilominus urbem prætextatus & laurea coronatus intravit, atque statim ab Augusto in Germaniam missus fuit; ubi territo Arminio restituit rem, ut narrant Suetonius in Tiberio, Dio, Velleius, & alii.

Ad istam de Dalmatis Pannoniisque victoriam, dilatumque à Tiberio triumphum, pertinere videtur hæc Gemma, quæ Tiberium laureatum, & picta aut pretexta toga amictum exhibet è curru triumphali, cujus habenas Victoria moderatur, descendentem, ut nempè reparet fractas in Germania res, & Quinctilium Varum cæsasque legiones ulciscatur.

In segmento inferiori, Romani milites trophæum statuunt de Dalmatis ac Pannoniis. Clypeus trophæo aptatus, insigne Scorpii præfert, quod bellicosis illis Gentibus non malè convenit. Manilius. *Segmenti inferioris descriptio.*

Scorpius armata violenta cuspide cauda
In bellum ardentes animos & Martia castra
Efficit, & multo gaudentem sanguine civem;
Nec præda quam cede magis: quumq; ipsa sub armis
Pax agitur, capiunt saltus, silvasq; pererrant.

Captivi braccis, torquibus, cæteroque cultu Gallico adornati,

Dalmatæ & Pannones ſunt, quos Gallica etiam armatura uſos Strabo tradit lib. 7. Ὁ δ' ὁπλισμὸς Κελτικός. Omnes ferè earum nationum in hoc bello Duces Tiberius in triumpho traduxit, quem demum egit anno V. C. 765. Ovidius:

Totque tuliſſe Duces captivis addita collis
Vincula, pene hoſtes quot ſatis eſſe fuit.

Velleius lib. 2. *Quippè omnes eminentiſſimos hoſtium Duces occiſos fama narravit, ſed vinctos triumphus oſtendit.* Præcipui inter eos fuere Bato Dyſidiates, & Pinnes. Velleius: *Ferocem illam tot millium juventutem, paulò ante ſervitutem minatam Italiæ, conferentem arma quibus uſa erat apud flumen nomine Bathinum, proſternentemque ſe univerſam genibus Imperatoris, Batonemque & Pinnetem excelſiſſimos Duces, captum alterum, alterum à ſe deditum, juſtis voluminibus ordine narrabimus, ut ſpero.* Et Pinnes quidem Batonis Breuci proditione in Romanorum poteſtatem venit, ut Dio auctor eſt l. 55. Ὁ Βάτων ὁ Βρεῦκος, ὁ τόντε Πίννην προδούς. Ideo Barbarum, qui trophæo adſidet torvo vultu, vinctiſque poſt tergum manibus, Pinnetem eſſe ſuſpicor. Alter, qui in genua procumbens ſupplicis modo manus tendit, quin Bato Dyſidiates ſit, non dubito. Ille enim poſt expugnatum à Tiberio Anderium, pacem petiit, & miſſo prius filio Scæva, incolumitatem pactus, ſe ſuoſque Romanis tradidit; adductuſque ad Tiberium pro tribunali ſedentem, nihil quidem pro ſe deprecatus eſt, caput etiam tamquam abſcindendum protendens; multa vero pro ſuis verba fecit, uti fusè narrat Dio. Tiberius enim poſt traductionem triumphalem, vita, veniaque, ac ingentibus etiam præmiis donavit. Ovidius:

Totque tuliſſe Duces captivis addita collis
Vincula, pene hoſtes quot ſatis eſſe fuit.
Maxima pars horum vitam veniamq; tulere,
In quibus & belli ſumma caputq; Bato.

Suetonius in Tiberio cap. 20. *Batonem Pannonium Ducem ingentibus donatum præmiis Ravennam tranſtulit, gratiam referens, quod ſe quondam cum exercitu iniquitate loci circumcluſum paſſus eſſet evadere.*

PE-

PETRUS GASSENDUS

Lib. 3. de vita Peireskii fol. 180.

ADjiciendum verò, quod præterea non ſine quodam numine Ectypum ſulphureum obtinuit Camei alterius in ipſo Imperatoris Cimeliarchio aſſervati Achates eſt ſimiliter, ſed ſuperiore non nihil minor, quem Philippus Pulcher Piſſiaci Monialibus legaverat (cùm habuiſſet ipſe ab Hieroſolimitanis Equitibus illum in Palæſtina nactis) quemque per Bella Civilia furto ſublatum Mercatores quidam detulerunt in Germaniam, ac divendiderunt Rudolpho II. duodecim millibus aureorum.

Expreſſus autem fuerat, adſervatuſque Ectypus, quem neſcio quâ ſorte Peireskius aſſecutus fuerit. Neque vero Ectypum modo, ſed germanam etiam picturam conſecutus eſt, elaboratam jam pridem celebris illius Nicolai Pictoris manu, cujus egregia opera in Fontis-Bellaquei Xyſto inſpectantur.

Præterea autem ejus figuras ita eſſe interpretatum, ut opinatus fuerit illis deſignari APOTHEOSIN VIVENTIS AVGVSTI. Quippè uti apud Joſephum legitur factus ab Herode Cæſaris Coloſſus, forma, ac magnitudine JOVEM OLYMPIVM referens, itemque alius ROMÆ DEÆ par, referens JVNONEM ARGIVAM ita videtur in his figuris repræſentari AVGVSTVS, habitu JOVIS OLYMPII una cum DEA ROMA habitu JVNONIS ARGIVÆ, apparentque aliunde JVPITER, & JVNO abeuntes locum cedere; itemque ſignum Scorpii contrahere brachia, cæteraque hujuſmodi.

FINIS.

ah



